



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput II. Lucius III. a Vvig. Episcopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

CAPUT II.

Lucius III. ^aVvigo. Episcopo.

Super eo autem, quod sententiam auctoritate falsarum literarum latam noluisse executioni mandare, tuam plurimum prudentiam commendamus, mandantes; ut quotiens aliqua scripta sub nostro nomine impetrata redarguenda videris falsitatis, nullam eis adhibeas fidem; & quod per ipsa mandatum fuerit, non observes; sed eum, qui presentaverit, retineri facias diligenter.

NOTÆ

1. ^a Vigorniensis. Ita etiam legitur in secunda collectione, sub tit. de re judic. cap. 4. De Vigorniensis Ecclesia egi in cap. 8. de filiis presbyt.
2. ^b Executioni mandare. Nam si sententia lata ex falsis instrumentis, aut testimonio, postquam apparuerit de falsitate, infirmatur, l. Divus 33. ff. de re judic. l. 1. & per tot. Cod. si ex falsis instrum. licet interim dum non constat de falsitate, execu-

tioni mandetur, l. 2. Cod. ad leg. Corn. de falsis, quanto magis cum ex falsis literis delegationis prolata est? Nam cum deficiat precipuum iudicii fundamentum, hoc est iurisdictionis, sententia nulla est. In presenti autem specie debebat Episcopus Vvigniensis supersedere in executione sententiae, & cognitionem falsitatis literarum remittere ad Romanum Pontificem, juxta tradita in cap. de cetero. de re judic. ubi num. 33. textum hunc exponit Balboa.

CAPUT III.

^aVrbanus III.

Ad audentiam nostram te significante pervenit, quod cum quosdam perverfos clericos, qui falsaverant ^b sigillum charissimi in Christo filii nostri Philippi Regi Illustris Francorum, ^c carcerali custodiae mancipaveris, quid faciendum tibi sit de ipsis, ab Apostolica Sede duxisti consilium inquirendum. Unde f. t. de fratrum nostrorum consilio respondemus, ut eis nec membrum auferri, nec poenam infligi facias corporalem, per quam periculum possint mortis ^d incurrere; sed eis prius a suis propriis ordinibus ^e degradatis, in signum maleficium, ^f characterem aliquem imprimi facias, quo inter alios agnoscantur; & provinciam ipsam eos ^g abjurare compellas, & abire permittas.

NOTÆ.

- ^a Urbanus III. Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc tit. cap. 2. nullibi tamen exprimitur cui rescribat Pontifex, licet facile cognoscatur rescriptisse alicui Prælati Galliae, ubi præsens excessus contingit; siquidem agitur in presenti textu de clerico falsificante sigillum Philippi Regis Galliae.
- ^b Sigillum. Quo utebatur Rex in literis suis signandis; juxta generalem morem apponendi sigillum in literis publicis, quem illustravit in cap. 6. de fide instrum.
- ^c Carcerali custodia. Sed si jam clericus falsarius erat carceri mancipatus, ad quid Episcopus consulebat Pontificem super alia poena illi imponenda, cum carceris detrusio propria sit poena clerici falsarii, cap. novimus, §. final. de V. S. ibi: Pro illo vero falsario, quem ad mandatum nostrum capi fecisti, hoc tibi duximus consulendum, ut in perpetuum carcerem ad agendam poenitentiam ipsum includas: Et merito, nam etiam pro atrocioribus delictis non alia poena jure Canonico imponitur, quam detrusio in carcerem, c. si quis clericus, 81. dist. c. penult. de heretic. cap. de lapsis 42. cap. commissi, eod. tit. in 6. Clem. 1. eod. tit. c. quamvis, de poenis in 6. Concil. Tarracon. 1. can. 1. Matifcon. 1.

can. 5. Aquisgran. can. 134. Petrus Greg. lib. 4. part. tit. 15. cap. 4. Salcedo in praxi, cap. 137. Savarus ad Sidon. lib. 2. epist. 1. verbo Carcer. Ergo si jam clericus falsarius erat carceri mancipatus, frustra consuluit Episcopus Urbanus super alia poena illi infligenda. Cui difficultati respondendum est, discrimen constituendo inter detrusionem factam in carcerem, ut ibi perpetuo reus poeniteat, & inter carceris mancipationem factam tantum ad custodiam, dum causa ipsa criminalis disceptatur. De prima detrusione accipiendus est textus in dist. cap. novimus, §. final. ubi clerico falsario imposta fuit poena illa perpetui carceris. De secunda vero detrusione tantum custodiae causa agitur in presenti; & regulariter carceris mancipatio pro hac accipitur, quia carcer ad custodiendos, non vero coercendos homines inventus est, l. aut damnus, §. solent, ff. de poenis, l. incredibili, C. eod. l. 1. ff. de custod. reor. c. quamvis, de poenis in 6. Illustrant Polletus lib. 5. hist. fori, cap. 14. Pantoxa in l. 1. ff. de aleat. n. 11. Pancirolo lib. 1. var. cap. 41. Petrus Greg. lib. 31. syntag. cap. 33. Amaya in l. 2. C. de exalt. tribut. d. Mortis incurrere. Quia Ecclesia semper abhorruit poenam sanguinis, cap. saepe, cap. his a quibus, 23. quest. ult. cap. sententiam, ubi notavi, ne clerici vel monach.

^e Degradatis. Id est depositis degradatione verbali